se ꝓpter q̃s pestis uenit in ciuitatibus & castris:
& aliis locis ꝑ quam multi & infiniti hoĩes & mu
lieres & infĩti pueri masculi & femine moriũtur
in diuersis gẽtibus & populis. Nam inueniendo
uerã cãm seu ueras cãs facilius uitabit᷑ pestilẽtie
effectus. s. infirmitatis & mortis. Et ponit plures

causas: Dicit. n. ꝙ q̄dam sunt cause uniuersales & remote magis: q̄dam sũt ꝑticulares & magis propinque: Cause vniuersales & magis remote secundũ medicos sũt dispões dependentes a formis celi: facientes esse necessariũ id quod ignoratur a medico inq̄ntũ medicus. s. vñ ille. Immo oportet ut scias ꝙ cause ꝓme lõginque ad illud sũt figure celestes & ꝓpinque figure terrestres. Astrologi uero dixerũt hanc pestilentiã accidere maxĩe ex pluribus lumĩaribus celi: aut ex ↄiunctione planetaꝝ zc̄. Sed istis obmissis ipse Gentilis dixit cãm pestilentie esse mutationẽ q̄ndaꝫ in aere fcãm: Et plura subiũgit demõstrãdo plures & diuersas causas inferiores: & ut ipse putat urgentes & neccĩas. Et postea ponit multa & diuersa remedia naturalia & terrestria circa uitaꝫ hũanam. Et inter alia remedia dicit ꝙ cuꝫ nihil sit quod fortius mutet humanum corpus q̄ aer qui per os nares & artarias ad cor spirando peruenit: qm̃ ꝑ oẽs artarias miscet̃ spiritibus corpis ꝑ quos spũs oẽs actiones uite corpalis ꝑficiuntur. Fugiendus est aer sũmope ut nos ad talem uenositatem trahere non possit: fugiẽdo illum aerẽ de homine in hominem: de domo ad domum: de uico ad uicũ: de ciuitate ad ciuitatem Est aũt regula ista in ꝑticulari peste fugere cito lõge & tarde reuerti. Et multa alia remedia ponit circa modum uiuẽdi secundũ corpus nihil dicens de

Astrologi.

Gentilis.

uita anime. Nihil. n. cõsiderat gentilis de fulgi neo & alii phisici medici: nisi ualitudinẽ corpis & nisi uite ꝯseruationem: & nisi expulsionem febrium & aliorum morboꝝ atqꝫ infirmitatum nihil curando de salute animaꝝ.

¶ qꝛ sancta eclesia in oĩbus ꝑncipaliter cõsiderat honorem dei & aĩaꝝ salutem. C. xx.

Ancta ro. ecle. ꝯsiderat ꝑncipaliter & in oĩbus dei honorẽ: secundario uero aĩaꝝ salutem. Propter quã cãm districte precipit medicis corpoꝝ in. c. cũ cessante de pe. & re. vt cuꝫ fuerit ad curã infirmoꝝ uocati añ oĩa infirmos moneãt & inducãt ad medicos aĩaꝝ: qa infirmitas corpis sepe sepius cõtingit ꝓpter infirmitatẽ aĩaꝝ. i. propt pcã. Vt sic cessante cã infirmitatis citius liberẽtur infirmi. Itẽ precipit medicis sub anatematis in terminatõe: ne quis medicoꝝ pro corpali salute aliquid egroto suadeãt quod in ꝑiculũ aĩe ipsius infirmi ꝯuertat: quia preciosior est aĩa q̃ corpus. Quapropter sancta mr̃ eclesia & omnes sancti doctores eclesie obmissis causis inferioribus ꝯsiderãt illas omniũ reꝝ causas que ab eterno in deo sunt.

¶ qꝛ voluntas diuina est ꝑma & ꝑncipalis causa omnium reꝝ. C. xxi.

T cum in deo unũ sit diuina potentia diuina sapientia diuina bonitas: diuina iusticia diuina misericordia: ac etiã diuina uolũtas

Augustinus
Magr. sent.

Dicit Beatus Augustinus q̄ una oīm p̄ncipalis cā est diuina uoluntas. Vñ refert Magr̄ sen. li. i di. xlvii. in. c. uolūtas: Dicit Augu. q̄ uoluntas diuina est p̄ma & sūma cā oīm spēꝝ: & oīm motionū: Et q̄ nihil fit quod nō de interiori atq; intelligibili aula sūmi impatoris egrediat̄ s̄m ineffabilem iusticiā eius Vbiq;. n. opatur quod uult omnipotens dei sapientia que protēditur a fine usq; ad finez fortiter: & disponit omnia suauiter Et non solum ea que pseuerantia consuetudinis admirationem non amittūt: sed etiam ea que ꝑpter raritatem & insolitum euentuz mira uidentur: ut sunt defectus luminarium terremotus & similia quorum omnium non fit aliquid nisi uoluntate dei Et ideo placuit uanitati philosophorum: etiam causis aliis ea tribuere cum omnium rerum uidere nō possent superiorem ceteris causam idest uoluntatem dei. Itaq; non nisi uoluntas dei causa p̄ma est sanitatis egritudinis p̄miorum atq; penaꝝ gratiaꝝ & retributionum. Hec igitur dei uoluntas sola est unde ortum est quicquid naturaliter est & ipsa nō est orta: sed ē eterna. Nec multiplicitatem recipit nec mutabilitatem que inexpleta esse non potest: quia īmutabilis est. Nam sicut deus semper scit omnia que aliquando sciuit: & sicut semper uult que aliquādo uoluit & nunq̄ aliquam scientiaz amittit aut uoluntatem mutat quaz habuit. Ita oīa semper

potest que aliqñ potuit: nec unq̃ aliqua sua prudentia ꝓuatr̃ Illud ergo tps uite & mortis quod deus uniuscuiusq; ab eterno sciuit: uoluit & potuit ímutabile est & mutari nõ põt: quia sic ab eterno disposuit sicut sibi placuit: & cõtra uolũtatem dei hõ illud tps mutare nõ põt elongãdo uel abreuiando: nec per fugã nec per medicinã nec infirmos ex peste nõ uisitando nec expellendo pegrinos uenientes de locis infectis contra caritatem dei & proximi.

¶ q̄ cause omnium rerum & omnium motionũ ab eterno sunt in deo. C. xxii.

Magr sent.

Agister senté. in. ii. li. di. xviii. de causis oĩm rer̃ dicit hoc mõ Oĩm rer̃ cause ab eterno in deo sũt: Quarũdam ab eterno in deo sũt: q̃rundam rer̃ cause tm̃ in deo sũt. q̃runda; uero & in deo sũt & in creaturis. Quedam uero cause tm̃ in deo sũt & illar̃ rer̃ cause dicunt̃ abscondite in deo. quia ita est in diuina dispositõe ut hoc uel illud fiat quod nõ est in seminali rõe creature. Illa quidem que secundũ cãm seminalẽ fiũt dicunt̃ naturaliter fieri: quia ita cursus nature hoĩbus innotuit. Alia uero preter natura; quor̃ cause tm̃ in deo sũt. Hec aũt dicit Augu. esse illa q̃ fiũt p grãm uel ad ea significanda: q̃ non naturaliter sed mirabiliter fiũt. Omnis nature cursus. habet naturales leges & sup hũc naturalem cursũ deus creator h; apud se posse de

Augus.

omnibus facere aliud q̃ eorꝝ naturalis ratio hꝫ. vt uirga arida repente floreat & fructū gignat. Et ꝙ femina in iuuentute sterilis pariat in senectute: Et ꝙ asina loquatur & silia que sūt pter nostram. Dedit.n.deus naturis ut ex ipis naturis etiam hec fieri possint: non ut in naturali motu habetur. Habet ergo deus in se quorundam factorꝝ causas: quas rebus conditis nō inseruit easqꝫ implet nō ope puidentie quo ordine nature sub sistūt: ut sint sed eo ordine illas admīstrat: ut uoluerit quas ut uoluit condidit Oīm ergo rerum que ad grãm significandam non naturali motu rerꝝ sed mirabiliter facta sūt: abscondite cause ī deo fuerūt quorꝝ unū fuit ꝙ eua mulier de latere uiri dormientis facta sit. Nam non habuit pma rerꝝ ɔditio: ut femina sic fieret: sed habuit ut fieri posset. Ne contra causas quas deus uolūtarie instituit: mutabili uolūtate aliqd facere putaretur. Et per has causas latentes in deo tm̄ dr̄ in ecclesiastico ꝙ bona & mala uita & mors paupertas & honestas a deo sūt: et sapientia & disciplina & scia legis apud deū est & dilectio & uia bonorꝝ apud deū & sic in deo p has latentes causas que in eo sūt uolūtas eius cā pma est sanitatis: ī firmitatis seu egritudis cuiuscūqꝫ gn̄is seu pestilentie: & aliarꝝ penarꝝ & premioruꝫ & grãrꝝ atqꝫ retributionū. Et dn̄s Leuitici.xvi. pmittit se daturꝝ multa bōa obseruātibus legē suā & mādata

sua: videlicet pacem & habundantiam & multa alia bona & mirabilia. Illis aũt qui nõ obseruãt mãdata sua ꝓmittit dare multas & uarias penas propter pctã eoꝝ: vȝ famem guerras: pestilentiã malas bestias & promittit tradeř eos in mãibus inimicoꝝ suoꝝ: ꝓmittit terrores & fugam nemine ꝑsequente: & multa alia aduersa & cõtraria. Et sic deus ꝓpř pcã hoĩm & iniusticias mittit pestilentiã & guerras in populos: qui nolũt obseruare mãdata eius. Et in his oĩbus clarissime pȝ ꝙ uoluntas dei est ꝑma & ꝑncipalis cã: sup oẽs alias cãs infirmitatis & pestilentie & carestie: & guerre ꝓpter pcã populoꝝ ꝭm eius bñplacitum Sed ut clarius appeat & uideri & intelligi & credi possit: que sit cã efficiens & ꝑncipalis mortalitatis & pestilentie iam diximus ꝭm catholicaȝ fidem ꝙ diuina uolũtas est ꝑma & ꝑncipalis cã efficiens oĩm reꝝ. Ideo ecl'ia ꝯfiteť & credit deũ esse oĩpotenté fcõrem celi & terre uisibiliũ oĩm & inuisibiliũ. Et de hoc ꝑmo ꝑncipio: creatore oĩm reꝝ & gubernatore nullo mõ debet aut põt dici ꝯtrariũ Et qui aliť diceret esset infidelis ẽt si aliquo mõ dubitaret nã dubius in fide ẽ infidel'.

¶ De uariis opinionibus cãꝝ oĩm reꝝ ꝭm phõs & sanctos doctores. C. xxiii.

T quia phĩ hanc diuinam uoluntatẽ nõ intellexerunt & nõ cognouerũt: Placuit uanitati philosophoꝝ tribuere etiaȝ aliis causis

philosophi

inferioribus scilicet esse causas rerum futuraruз ut dicit Magister sen.c.uoluntas. Quidam dixerunt quedam esse causam fatalem. Nam id homines non aliud esse intelligunt: nisi uim positionis siderum qualis est quando quis nascitur siue concipit̃: quod aliqui alienant a dei uoluntate. Isti quideз qui sine dei uoluntate opinant̃ sidera decernere: quid agamus: uel quid bonorum habeamus: uel quid maloruз patiamur ab auribus omniuз repellendi sunt. Et contra istos dicit Augustinus.v.li.de ciuitate dei: Omnia fieri fato non dicimus: immo nulla fieri fato dicimus: & ibi rónem assignat. Alii dixerunt unam esse causam fortuitam: De quibus causis fortuitis dicit Augustinus ubi supra hoc modo: Nos enim eas causas: que dicunt̃ esse fortuite: Vnde etiam fortuna nomen accepit: non esse dicimus nullas: sed latentes: easq̧ tribuimus: uel dei ueri uel quorundam spirituum uoluntati. Alii dixerunt quasdam esse causas naturales: de quibus dixit idem Augustinus hoc modo: Ipsas causas naturales: nequaq̃ a dei uoluntate se iungimus q̃ é ɔditor oĩs nature Alii dixer̃t q̃daз esse causas uolũtarias: de q̃bus dić Augustinus supra Cause uolũtarie aut dei sunt angelorꝝ hoĩm aut quorum cũq̧ aĩaliũ rõnis si tm̃ appellãde sunt uoluntates aĩaliũ rõis exptiũ: motus illi q̃bus aliq̃ faciunt ꝑm naturã suam cũ q̃d ul' appetũt ul' euitãs.

Angelorum aũt uolũtates siue bonoꝝ quos an
gelos diabolos: uel etiam demones appellamus
Sic & hoĩm & bonoꝝ. s. & maloꝝ. Ac per hoc
colligitur non esse cãs efficientes oĩm que fiunt
nisi uolũtarias illius nature. s. que spũs uite est:
Nam aier iste siue uentus dr̃ spũs: Sed qm̃ cor
pus est non est spũs uite: Spũs ergo uite qui ui
uificat oĩa creator est oĩs corporis: & oĩs creati
spiritus: ipse deus utiq; spũs est non creans. In ei
us uolũtate cũcta sunt posita sũma ptãs in eo ẽ:
que creatoꝝ spirituũ uolũtates bonas adiuuat:
malas iudicat: oẽs ordinat. Et quibusdam tribu
it ptãtem quibusdam nõ tribuit. Sic. n. oĩm cre
aturaꝝ seu naturaꝝ creator est: Ita oĩm potesta
tum dator: non uoluntatũ malaꝝ Male quippe
uolũtates ab illo nõ sũt. qm̃ contra naturã sũt
que natura ab illo est. Corpora ergo magis sub
iacent uolũtatibus q̃dam nr̃is. i. oĩm animantiũ
& magis hoĩm q̃ bestiaꝝ. Quedam uero Ange
loꝝ sed oĩa maxime dei uolũtati subiecta sunt.
Cui etiam uolũtates oẽs subiciũtur: quia nõ ha
bent ptãtem nisi ille concedit: Caũa quã itaq;
reꝝ que facit nec fit deus est: Alie uero cause &
faciũt & fiũt: sicut sũt oẽs creati spũs: & maxĩe
rationales Corporales aũt cause que magis fiũt
q̃ faciũt non sũt inter causas efficiẽtes cõnumer
andos: qm̃ hoc pñt quod spirituũ uolũtates ex
ipsis faciũt. Quomodo igitur ordo causaꝝ qui

prescienti deo certus est id efficit: ut nihil sit in nr̃a uoluntate: cũ in ipso cã℞ ordine magnũ habeant locũ nr̃e uolũtates. Quapropt̃ & uolũtates nr̃e tm̃ ualent q̃ntũ deus ualere uoluit atqꝫ p̃sciuit. Et ideo quicquid ualent certissime ualent & quod facture sũt ipse oĩo facture sũt quas uolituras atqꝫ facturas deus p̃sciuit cuius presciẽtia falli nõ põt. Et ex his oĩbus supradictis clarissĩe appet ꝗ uolũtas dei est ꝑma cã oĩm cã℞: rerũqꝫ oĩm: quia ut dr̃ in simbolo fidei: Deus est pr̃ oĩpotens creator & fcõr celi & terre & oĩm uisibiliũ & inuisibiliũ. Et oẽs cause inferiores depẽdẽt & influentiã hñt ab illa cã ꝑma & supiori q̃ plus influit in suũ cã℞ q̃ cã secũdaria Cã aũt ꝑma est deus ergo si in uirtute ꝑme cause oĩa moueutur & influentiã sui motus oĩa recipiũt Ergo motus uniuscuiusqꝫ rei & tps uite: & mortis & bona & mala. i. comoda & incomoda & pestilentia: zc. erũt ab ip̃o deo Virtus. n. cuiuslibet mobilis dependet a uirtute ꝑmi mouentis: & eius ꝑme uirtutis instr̃m erit. Nam ut dicit Thomas q̃ntum cũqꝫ aliq̃ natura corpalis uel spũalis ponat̃ ꝗ sit pfecta nõ põt in suũ actũ ꝓcedere nisi moueat̃ a deo qui ẽ ꝑma & supma cã oĩm re℞: & oĩm motionũ que quidem motio est ꝫm rõnem sue ꝓuidentie nõ ꝫm necessitatẽ nature sicut motõ corporis celestis. A deo. n. non solum est oĩs motio sicut a primo mouente sed etiam ab ipso est oĩs

Thomas

formalis pfectio sicut a pmo actu. Item dicit be atus Thomas q actio intellectus & cuiuscunq entis creati dependet a deo qntu ad duo Vno mó inqntú ab ipso h formam p quá agit Alio mó inqntú ab ipo mouet ad agendú q qde mo tio est sm sue puidentie róem sicut ab eterno p sciuit & uoluit. Omnipotens ergo deus est fcór & creator & gubernator celi & terre & oím uisi biliú & inuisibiliú in celo & in terra & oím actó nú & motionú & oía que celi ambitu cótinent Et ex pdictis clarissime p ut dr ecle. xi. bona & mala. i. comoda & incomoda: uita & mors: pau ptas & honestas a deo sút Et ut dicit Magr sen. li. i. di. xlvi. Non nisi dei uoluntas cā pma est & pncipalis sanitatis egritudinis pmiorum atq pena rum gratiarum & retributionú. Hec sola est vñ or tú est quicquid est & ipsa nó est orta sed eterna.

Thomas

Magr. sent

¶ q non habenti fidem impossibile est deo pla cere. C. xxiiii.

Duerte & cum intellectu cósidera tu qui legis dicta sancte mrís eclesie & sanctam scripturam & doctrinā pphetarum: ac doctrinā & exempla dñi nrí Ihesu xpi & aplorum & sacroru doctorum: Et crede quia si nó credis & si nó habes catoholicā fidé uiuā ex opibus cú pposito bono & puro corde obseruādi pcepta dñi qntum tibi possibile est nūq recte atq pfecte intelligere po teris: q supra scripta sút & narrata Nam ut dicit

Apoſtolus ad hebreos. xi. Sine fide īpoſſibile ē quenq̄ placere deo Credere. n. oportet acceden tem ad deū: Si quis aūt nō credit & credere non uult infidelis eſt & nō cognoſcit deū nec pōt dili gere eū: Et fidē & caritatē nō h3 nullū īplet mā datū: nullū bonū opus facit et ē in pcō mortali: & extra gr̄am dei: Talibus. n. iudeis qui nō cre debāt xp̄s in pabolis loq̄bat̄: quia nō credebāt Et interrogatus xp̄s a diſcipulis: quare in pabo lis loq̄batur eis: reſpōdit eis Iheſus Math. xiii. dicens Ideo in pabolis eis loquor quia uidentes nō uident: et audientes non audiūt neq3 intelli gunt ut adimpleretur in eis prophetia yſaie dicē tis Auditu audietis & non intelligetis uidebitis & non uidebitis. Et Io. xii. dixit Cu3 tanta fecīſ ſet dominus Iheſus xp̄s coram iudeis: nō crede bant in eum Vt ſermo yſaie impleretur que3 di xit Domine quis credit auditui noſtro: Et bra chium domini cui reuelatum eſt: Propterea nō poterant credere: quia uerum dixit yſaias Exce cauit oculos eorum et indurauit cor eorum: ut uideant oculis & intelligant corde & conuertan tur & ſanem eos Qui ergo uult credere ea que in uolumine hoc ſeu tractatu ſcripta ſunt cōuer tantur ad dominum in toto corde et pfecte cre dant in deum patrem omnipotentem factore3 celi & terre uiſibilium omniū et inuiſibilium et in unum dominum Iheſum chriſtum. zc̄. que

Apoſtolus.

Ieſus math.

Iohannes.

in articulis fidei ↄtinent̃: quia sine fide ĩpossibi
le est placer̃ deo z eius hr̃e grãm q̃ gr̃a ↄsistit in
uera fide z caritate pfcã z in obſuãtia pceptoꝝ dñi
dei nr̃i de dilectione dei & pximi.

¶ De penis et maledictõibus quas deus pmittit peccatoribus. C.xxv.

E illis aũt qui nõ sũt in fide et nõ credũt
et nõ sũt in caritate & quotidie peccant
faciendo ↄtra p̃cepta dei. Audi et mente ↄsidera
et time maledictões q̃s dñs dat et dabit eis: De
quibus maledictõibus Moyses in deutro. xxviii
c. dixit: Si audire nolueris uocem dñi dei tui ut
audias et facias oĩa mandata eius et cerimonias
q̃s ego p̃cipio tibi hodie uenient sup te oms ma
ledictões iste et apphendent te Maledictus eris
in ciuitate: maledictus in agro: maledictuȝ hor
reũ tuum: Et maledicte reliquie tue: maledictus
fructus uentris tui Et fructus terre tue: armenta
bouũ tuoꝝ Et greges ouiũ tuaꝝ maledictus eris
egrediens Et maledictus ingrediens Mittet sup
te dñs famem et esuriem z increpatõem in oĩa o
pera tua q̃ tu facis donec ↄterat te et pdet uelocit̃
propt̃ adinuentões tuas pessimas in q̃bus r̃liqui
sti me Adiũge̾ tibi dñs pestilentiã donec consũ
met te de terra. Percuciet te dñs egestate febre
et frigore et ardore et estu et corrupto aere ac ru
bigine et pseq̃tur te donec peas. Et post multas
illas maledictões subdit dñs Nisi tu custodieris

& feceris oīa uerba legis huius q̄ scripta sunt in hoc uolumine: & timueris nomē eius gloriosu3 & terribile hoc est dn̄m deum tuum. Augebit dn̄s plagas suas & plagas seminis tui plagas magnas & pseuerātes & infirmitates pessimas. & ppetuas: Et ɔuertet in te oēs afflictōes egipti q̄s timuisti & adherebūt tibi Insup & oms langores & plagas q̄ nō sūt scripte in uolumine legis huius: q̄s inducet dn̄s sup te donec ɔterat te. Et post latam legem dixit Moyses populo: Cōsidera ꝙ proposuerim hodie in ɔspectu tuo uitā & bonū & ecōtrario mortē & malū Vt diligas dn̄m deū tuū & ābules in uiis eius. Testes inuoco celu3 & terram ꝙ ppposuerim uobis uitā & mortē bn̄dictionē & maledictōem: Elige ergo uitam: ut tu uiuas & semē tuū: & diligas dn̄m deū tuū atq3 obedies uoci eius: & illi adhereas. Ipse ē. n. uita tua & longitudo dieꝝ tuoꝝ: Et ut supra dixi dn̄s pmittit se datuꝝ peccatoribus: Leuitici oms istas penas & pestilentiam. Moyses. Leuitic.

¶ ꝙ deus dat penas & maledictōes hominibus propter eoꝝ peccata. C. xxvi.

T qm̄ oīm istaꝝ penaꝝ & aliaꝝ & pestilentie: & aliaꝝ infirmitatū cā pma & pncipalis est diuina uolūtas in q̄ oīm reꝝ cause ab eterno sunt: ut supra pbatū est. Et qm̄ ipe deus has penas dat ppter pcā Inuestigādū ē si aliquo mō nos mixi pcōres possumus fugere ac uitare

his multiplices et atrocissimas penas et horribi
les infirmitates & guerras & carestias & pestilē
tiam & tremendas maledictiōes quas dn̄s dixit
se daturꝫ transgredientibus preceptoꝫ suorum
ut supra demonstratum est.

¶ q̄p pcōres in ꝯtinuo timore stare debēt ꝓpt̄ pe
nas p̄ntes & futuras tribulatōes. C.xxvii.

Dilectissimi xp̄iani & frēs carissimi. Au
ditis his atrocissimis penis atq̧ terribili
bus maledictōibus dei ꝯtra nos miseros pcōres.
Timor & tremor maximus uenerīt sup me & cō
texerūt me tenebre: Audito uerbo Iohannis p̄
ma .c.ii. Nouissima hora est qa antexp̄s uenit.
Nunc aūt antexp̄i multi facti sunt. Et qm̄ ut ait
Apostolus ad thimoteum. In nouissimis tpibus
erūt hoīes se ip̄os amātes cupidi elati supbi blas
femi pentibus nō obedientes ingrati scelesti: si
ne affectione sine pace criminatores incōtinētes
inmites sine benignitate: proditores: proterui:
tumidi uoluptatū amatores magis q̄ dei Hn̄tes
quidem sp̄em pietatis: uirtutē aūt eius abnegan
tes: Et qm̄ hoīes multi & infiniti hodiernis tpi
bus tales sūt & multo peiores: merito timor: &
tremor app̄hendet me: qm̄ scimus: quia iam iā
hora nouissima appropinquat ad illud tps picu
losissimū in quo anni mille ꝯsūmati sūt. De qui
bus Io. in Apoca. xx. Et qm̄ solutus est satanas
de carcere abissi: & seducit gentes que sūt super

q̃tuor ãgulos terre & ↄgregabit eas in p̃liũ quo
rum numerus erit ſicut arena maris. Vñ iteꝝ at
q; iteꝝ timore magno atq; uehemẽti ↄcutior: ſup
peſſimos pc̃ores q regnãt hodiernis tp̃ibus Sed
in tanto timore atq; tremore & anxietate quis
defendet nos miſeros pc̃ores xp̃ianos ab his pe
nis quas dñs ꝑmittit ſe daturꝝ pc̃oribus. Iſte. n.
pene dependent ſolũ a iuſtiſſima uolũtate dei q̃
ĩmutabilis ẽ & inexpleta eſſe nõ põt. Iſta. n. uo
lũtas dei q̃ eſt ut pc̃ores faciẽtes cõtra eius uolũ
tatem puniãtur eſt uolũtas ſui bñplaciti que eſt
iuſta recta efficax & inrep̃henſibilis. Et qm̃ tal'
diuina uolũtas eſt recta nullus eſt rectus niſi cõ
formet' ei. Et quia eſt efficax nihil ſine illa põt fi
eri: nihil contra ip̃am põt effici: ꝑ nullũ põt ĩpe
diri. Etiam quia inrep̃henſibilis eſt nihil p̃cipit
aut ꝑmittit niſi iuſte nihil agit aut ↄſulit niſi be
ne. Quis ergo eſt ille cũ ſit peccator qui poſſit
aliquo mõ uitar' has penas q̃s dat deus unicuiq;
qñ uult ipſe deus & cũ uult & quales z quantas
uult & ad q̃ntũ tp̃s uult uel ad mortẽ. Et an a ſe
ipſo uel aliq̃bus mediis & ob quã cãm & ad quẽ
finẽ. Quiq;. n. modis deus flagellat pc̃ores ul' iu
ſtos. Aut enim flagellat iuſtos ut iuſti per pati
entiam acquirant merita: uel augeantur. Ali
quando flagellat uirtuoſos ad cuſtodiam uirtu
tum: ne ſuperbia temptet. Aliquando ad corri
genda peccata ut pc̃or ſe emendet & corrigat.

Quinq; mõis d. Flagellat iuste et pc̃ores

Aliqñ flagellat ad gloriam dei: ut in illis q̄ mir aculose liberant̄. Aliqñ flagellat ad initiū et̃ne pene q̄tenus hic uideat̄ qd i inferno seq̄tur Ista. oīa flagella q̄ deus dat oīa sūt p̄ter naturam aut ex grā: & istoꝝ oīm cause sūt abscondite in deo tm̄ z in sua tm̄ uolūtate ↄsistūt z nō sūt fm natu ralem rōem reꝝ aut naturalē instōem reꝝ tm̄ & hec cāe q̄ tm̄ in deo sūt & in deo abscōdite inui sibiles sūt & incōprehensibiles quia deus inuisi bilis & incōphensibilis est: Et de istis causis nul lus hō pōt aliquā aliā rōem reddere nisi istam. s quia sic placuit deo iusto equo & bono & sic uo luit & uult. De cuius uolūtate rō q̄renda nō est nisi tm̄ q̄ntū nobis p ꝓphetas suos & filiū suū z p alios sanctos suos reuelata & mãifesta sūt.

¶ Qꝫ nullus hō pōt impedire aut uitare penas q̄s dn̄s dat pcōribus ꝓpr̄ pcā. C. xxviii.

Vllus hō est ergo: qui possit has penas uel maledictōes ĩpedire seu uitare seu auf ferí z quas dn̄s dat: & se datuꝝ dixit. Cū iste pe ne et iste maledictōes dent̄ hoībus a deo z dn̄o nr̄o potentissimo fm suā liberam uolūtatē: cui uolūtati nullus aliquomō pōt ↄtradicere aut re sistere nec p fugam nec p medicinā nec p creatu ras alias: aut res medicinales ↄtra uolūtatē diui nam in qua ut dcm̄ est ab eterno abscōdite sūt cause oīm reꝝ et oīm futuroꝝ. Ipse. n. p poten tiam suam creat et facit oīa Et p sapientiā suam

oībus rebus dat modū tps et ordinem: in p̄ncipio medio & in fine uniuscuiusqȝ rei. Et qm̄ deus agit p̄ intellectū et uolūtatem: nihil fit a casu: sed oīa deus facit ad certū finem ſm suā ordinatissimam dispōeȝ tempoꝝ: ac suū etnū bn̄placitū: quod inuariabile est īmutabile atqȝ incōp̄hēsibile. Propter quod Aplus ad Ro. xi. de magnitudīe dei admirans z nrām puitatem ↄsiderās exclamās dicit: O altitudo diuitiaꝝ sapīe z scīe dei q̄ incōprehensibilia sūt iudicia eius: et inuestigabiles uie eius. Quis. n. cognouit sensū dn̄i aut quis ↄsiliarius eius fuit: aut qs p̄or dedit illi et retbuet̄ ei: qm̄ ex ipso et p ip̄m et in ipso sunt oīa: ipsi glr̄a in secula seculoꝝ. In deo. n. sumus: uiuimus et mouemur: A deo habemus omnem uirtutem nō solū essendi sed opandi cogitandi z motōis. q̄ quidem oīa habemus ſm suam iustissimam uolūtatem: sapientiam: scientiam: predestinationem: et prescientiam cum libera uolūtate Q ue omnia nobis incomprehensibilia sunt q̄ntum ad ipsam diuinitatem: seu diuinam uolūtatem: et quantum ad fienda circa hoīes: quoꝝ rōes nō pn̄t a nobis cōprehendi: quia ut dictum est in deo sunt: et incomprehensibilia sunt: et capacitatem nostre intelligentie excedunt.

¶ Qꝛ peccatores petūt ↄsiliū a fidelibus de mō uitandi penas et maledictōes dei. C. xxix.

Aplus

Fidelissimi xp̄iani ac deuotissimi sui dei
& ueri medici aīaꝝ ueri sacerdotes ac ue
ri religiosi: quibus a deo data est ptās in terra li
gandi atq; soluēdi peccatores & facti estis pasto
res atq; doctores aīaꝝ: & q̄bus data est ptās offe
rendi deo pro pcōribus ueꝝ corpus xp̄i. Quis
iuuabit nos miseros pcōres: quis docebit nos fu
gere ab hac uētura ira dei de celo. Quis nobis
dabit ꝯsiliū optimū a p̄n̄ti crudelissima guerra:
& ab hac presenti pestilentia: que quotidie nos
deuorat. Quis liberabit nos ab istis infinitis pe
nis ac maledictōibus quas dn̄s dicit & ꝑmittit se
daturꝝ pcōribus. Heu heu iam iam sumus in tpi
bus illis de quibus dixit Io. in apoca. xx. c. dicit
n. q̄ iam ꝯsumati sūt & ꝯpleti anni mille quibus
finitis soluēdus est Satanas de abisso: Et iam p
plures annos exiuit Satanas de carcere abissi &
data est ei ptās sup oēs pcōres: ut seducit gentes
que sūt sup q̄tuor angulos terre & congregabit
eas in preliū quaꝝ numerus erit sicut arena ma
ris. Et iā in pluribus ptibus mūdi cōgregauit et
cōgregat multos xp̄ianos in preliū ꝯtra alios cri
stianos. Et iam iam pluribus ānis ꝯgregauit infi
nitos Turcos atq; iufideles cristianos: & quoti
die ꝯgregat ꝯtra nos miseros pcōres Et iam totū
regnū grecoꝝ occupar̄t: extminauer̄t: & ad nihi
lū redegerūt. Et multas alias ꝓuīntias ac natōes
cristianoꝝ suo impio subdiderunt. Et quotidie

Iohannes

augentur & multiplicãtur contra nos: antiquis
simi ac maximi draconis astucia qui uocatur Sata
nas: quis aũt defendet nos a morsibus eius Me
dici & pastores aĩaꝝ: & maxĩe qui sũt diuites et
potentes & deũ nõ timẽtes qui multi sũt tpe pe
stis fugiũt de locis morbosis in quibus uiget pe
stis: & infirmis ex peste apropinq̃re nolũt dicen
tes tale morbũ esse ꝯtagiosũ. Et ꝓpter exemplũ
illoꝝ sacerdotũ qui curã hñt aĩaꝝ & fugiunt: Et
propť exẽplũ illoꝝ medicoꝝ: qui magne sc̃ie re
putanť: qui de loco morboso fugiũt: & talibus
infirmis apropinq̃re aut eoꝝ curã suscipe nolũt
Oẽs inferiores et ignorãtes ꝓpť eoꝝ exẽplũ fugi
unt ex nimio amore uite p̃ntis: et maxĩe diuites
de loco ad locũ: de castro ad castꝝ de ciuitate ad
ciuitatem: et quasi omnes fugiunt: propter ua
num timorem: et nemine persequente. Pater fu
git a filio: filius a patre: frater a fratre: Soror
a sorore: maritus ab uxore: uxor a marito: et ne
pos a nepote: et amicus ab amico: amica ab ami
ca: et consanguineus a consanguineo: Domini
ciuitatum seu castrorum: et prouinciarum non
recipiunt peregrinos: uenientes a locis infectis
et expellunt infirmos ex peste: de ciuitatibus de
castris: et de domibus propriis: Claudunt infir
mos in eorum domibus propriis: prohibentes:
ut nullus accedat ad eos: nec de domibus exeãt
illi: qui curaꝫ infirmorum ex caritate suscipiũt.

Quis posset narrare crudelitates magnas & multas atq; iniquitates z pcã q̃ fiũt solũ ꝑpter timorem mortis & sepatione aĩe a corpe & ꝑpter cõcupiscentiã uite tpalis: De morte aĩe nihil curãdo seu cogitãdo. Ex quibus oĩbus clare & manifeste appet ꝙ hodiernis tpibus in cordibus multoꝝ hoim fides in deũ prẽ; oĩpotẽtẽ nõ regnat nec caritas dei nec ꝓximi: nec aliq̃ spes in deo ꝑ Ihm̃ xp̃m dñm nr̃m : Nec iusticia nec aliq̃ uera uirtus regnat: Sed in corpibus plurimoꝝ hoim regnat supbia: uana gloria: pompa: auaritia gula: luxuria & oĩa mala atq; pcã. Et quasi oẽs xp̃iani a fide xp̃i sũt alieni: ambulãtes post cõcupiscentias carnis & post delectatões mũdi. Propt̃ quod ira dei uenit in filios diffidentie & iniquitatis & cadent in tẽbras inferiores in ignẽ etnũ.

¶ ꝙ fideles ꝯsulũt pcõribus ut currant pro ꝯsilio ad deum. C. xxx.

Stulti & insensati & crudelissimi xp̃iani & tardi corde ad credendũ in oĩbus que facta sunt: & que demõstrata sũt per Ihm̃ xp̃m dñm nr̃m : qui datus est nobis a deo tanq̃ optimus medicus aĩaꝝ & corpoꝝ Et datus est nobis ut ipse solus sit sapientia nr̃a & iusticia nr̃a z sãctificatõ nr̃a z redẽptio nr̃a: oblatio nostra: & ut ipse demõstret nobis uiam ueritatis & uite: & ut ipe sit mediator pacis int̃ deũ & pcõres & nos r̃dimat ab oĩbus pcĩs & iniqtatibus sãguine suo.

& ut per mortem suam crudelissimaʒ det uobis uitam eternam. Quid ergo facitis o miseri pcõres qui p sanctũ baptismũ facti fuistis filii dei ui ui & ueri Et per pcã uestra facti estis filii diaboli p imitationẽ Et supbi z elati uos ipsos amantes z cupidi z blassemi & pntibus nõ obedientes z ingrati z scelesti sine affectõe sine pace criminatores: incõtinentes inmites sine benignitate proditores hõicide fures raptores sine fide sine spe sine caritate. qui nec diligitis deuʒ nec pximos uestros nec uos ipsos Currite currite o pcões q̃ in xpo baptisati estis: spate in eo qui cũ esset iudex hñs ptãtem ad ɔdẽpnandũ pcões et fcũs est aduocatus pcoꝝ & redẽptor: et ɔtinnuus intcessor p pcõribus Audite & obseruate ɔsiliũ eius & nõ turbet cor uestꝝ neqꝫ formidet: sed cõtinue spate in dño deo uestro p dñm Ihesũ xpm: qui semp uiuit cuʒ eo in unitate spũs sancti. Ipse sit semper refugiũ uestꝝ Ipse. n. erit optimus ɔsiliarius & liberator nester Consiliũ aũt eius uerum est & certũ & eternũ & incõmutabile cõtra oẽs tribulationes & penas & cõtra oẽs infirmitates & maxie ɔtra pestilentiã & ɔtra omnes maledictiones & penas q̃s dñs dixit se datuꝝ homibus propter peccata eorum.

¶ De optimo & incõmutabili & eterno consilio dei ad peccatores. C. xxxi.

Joel.

Vdite cũ maxia deuotõe ɔsiliũ dei qui uo
cat nos ad pniã m dicens p Ioelem .ii.c.
Cõuertimini ad me in toto corde uřo in ieiunio
fletu & planctu et scindite corda uía & nõ uesti
méta & ɔuertimí ad deũ uestꝶ quia benignus z
misericors é et pstabilis sup malitia Et p ezechi
Ezechiel.
elé.xviii.c.dicit Ego dñs ɔuertimí & agite pnía ꝫ
ab oíbus iniqtatibus uřis Et nõ erit uobis in rui
nã iniquitas uřa Proicite a uobis oés íiquitates
uestras et puaricatióes uřas: Et facite uobis cor
nouũ et spm̃ nouũ Et q̃re moriemí domus israel
quia nolo morté pcõris sed ut ɔuertat̃ et uiuat:
Ezechiel.
Et p ezechielé.xxxiii.c. Viuo ego dić dñs nolo
morté ipii sed ut ɔuertat̃ a uia sua et uiuat: cõuer
timí a uiis uestris pessimis Et q̃re moriemini do
mus israel Iusticia iusti nõ liberabit eũ Et ípietas
ímpii nõ nocebit ei í q̃cũqꝫ die ɔuersus fuerit ab
impíetate sua: Et iustus nõ poterit uiuere in sua
iusticia in q̃cũqꝫ die peccauerit Et post pauca sub
dit: Et si dixero impio morte morieris et egerit
pniam a pcõ suo feceritqꝫ iudiciũ et iusticiã: pig
nusqꝫ restituerit: rapinãqꝫ reddiderit et in mãda
tis uite ãbulauerit: nec fecerit quicq̃ iniustũ uita
uiuet et nõ moriet̃ Oĩa pcã eius q̃ peccauerit nõ
íputabũt̃ ei Iudiciũ et iusticiã fecit uita uiuet et
nõ moriet̃. Audi nũc deuote xpiane quid ɔuer
Osee.
se aíe pmittit deus et cũ q̃nta caritate Osee.ii.c
dicens Arcũ et gladiũ et bellũ ɔterã de terra et

dormire faciam te fiducialit: et spõsabo te mihi in sempitnũ: et spõsabo te mihi in iudicio: et iusticia et mĩa et miseratõibus: et spõsabo te mihi in fide: et scies quia ego sum dominus.

¶ Exhortatio ad pcõres ut ↄuertant̃ ad dominũ et seq̃ntur eius consiliũ. C.xxxii.

Conuertimini ↄuertimini ergo frẽs carissimi ad dñm deũ uestrũ: et eius sanctissimũ cõsiliũ sequimini: qm̃ pius et misericors ẽ et mĩe eius nõ est fĩs: Nõne infĩitam caritatẽ et mĩaꝫ ostẽdit nobis pcõribus dñs mittẽs ad nos Ihesũ xp̃m filiũ eius: qui fcũs est nobis sapientia et uirtus a deo: iustificatio: sanctificatio: et redẽptio: q cũ tanta caritate crucifixus et mortuus est ꝓpt̃ pcã nr̃a: ut nos redimeret a miserabili seruitute. Et qui dicit ꝑ 10. in euangelio. Ego ueni ut uitã habeant: et habũdatius habeãt: Hec ↄsiderãs Dauid: cũ maxĩa fide et ardẽtissima caritate: et certissima spe dicebat: Diligã te dñe fortitudo mea: dñs firmamẽtũ et refugiũ meũ: et liberator meus: deus meus adiutor meus et sperabo in eum: Protector meus et cornu salutis mee: laudans ĩuocabo dominum: et ab inimicis meis saluus ero. Circumdederunt me dolores mortis: et terrores iniquitatis ↄturbauerũt me Dolores ĩferi circũdedert̃ me: ꝑoccupauert̃ me laq̃i mortis In tribulatõe inuocaui dñm et ad deũ meũ clamaui z exaudiuit de tẽplo sancto suo uocẽ meam:

Iohannes: Dauid

Ecce frẽs carissimi Dauid in suis necessitatibus & angustiis usus est ꝯsilio dei cũ maxima fide & spe & caritate: Et dñs exaudiuit uocem suã de tẽplo sancto suo Quare ergo pcõres nõ curritis ad eũ in necessitatibus & angustiis ur̃is: Dicite mihi o pcõres: quare tpe pestis cũ tanto timore & fide fugitis de loco ad locũ de domo ad domuꝫ ut uitetis mortem corpalem: & de ciuitate ad ciuitatem: ut longiori uiuatis tpe. Et quare cõtra caritatem dei & ꝓximi fugitis ab infirmis ex peste qui sũt ꝓximi uestri: certe ꝓpter ignorantiã hoc facitis quia nõ creditis in deũ prẽm oĩpotẽtem & in Ihesum xp̃m filiũ eius per quẽ oĩa fcã sũt: Et q solo uerbo restaurat uniuersa & in quo sumus uiuimus & mouemur & occidit & uiuere facit pcutit & sanat Vñ dr̃. i. regũ. ii. c. dñs mortificat & uiuificat deducit ad inferos & reducit. dñs paupem facit et ditat humiliat & sublimat Et sapientia dei in eclesiastico. xxiiii. de se dicit: Ego mr̃ pulcre dilectõis & timoris & agnitionis & sancte spei In me est gr̃a oĩs uie z ueritatis in me est oĩs spes uite & uirtutis Transite a me oẽs qui concupiscitis me.

i. regum.

¶ De maxima ignorantia pcõꝶ qui peccata nõ fugiunt. C. xxxiii.

Vomõ põt esse ꝙ in uobis sit tam crassa & tam supina ignorantia: ut uos pcõres timeatis illa q̃ timenda nõ sũt & q̃ ex sui natura

nocere nõ pñt nec ex natura ſua dare pñt uitaȝ nec mortẽ niſi deus talem dederit ptãtem: deus n. creator naturaꝝ eſt & dator oĩs uirtutis ꝛ oĩs potentie ſeu ptãtis unicuiq; ſm menſurã ſue prouidentie Oĩs.n. ptãs a deo eſt: & ut dicit Thomas Quãtũcũq; natura aliqua corpalis uel ſpũalis ponat̃ pfecta nõ põt in ſuũ actũ pcedere niſi moueat̃ a deo: q̃ qdem motio eſt ſm ſue puidẽtie rõem non ſm neceſſitatẽ nature ſicut motio corpis celeſtis. Non põt ergo mihi nocere: nec aer nec locus nec anhelitus ĩfirmi. nec aliq̃ creatura ſm rõem. & uim ſue nature: niſi oꝑs deus uoluerit. & per illas cauſas q̃ tm̃ in deo ſũt. Stulticia ergo magna eſt. & ignorãtia peſſima fugere a rebus illis q̃ nocere nõ pñt. Fuga aũt a pcĩs & a uitiis & iniqtatibus optĩa eſt: & p ueraȝ cordis ꝯtritionẽ ad dñm nr̃m Ihm̃ xp̃m Et p ueram & hũilem ꝯfeſſionẽ reaſſumẽdo uerã uiam & uitam cũ maxĩa fide & ſpe & caritate: Obſeruãdo p̃cepta dei & ſe ueris uirtutibus ex ornando: ſequẽdo ſemp ueſtigia Iheſu xp̃i. Hec ẽ aũt uera & ſãcta & optĩa fuga ab oĩbus malis piculis peccatis & ab oĩbus infirmitatibus ſm bñplacituȝ diuine uolũtatis. Freq̃ntando illaȝ deuotiſſimã or̃onem quã nos docuit dñs nr̃ Ihũs xp̃s. vȝ Pr̃ nr̃ qui es in celis: dicendo eã coram pr̃e cũ maxima fide & deuotõe. Per quã or̃oem dabit nobis dñs ueniaȝ oĩm pcõꝝ. Et donabit nobis ſeip̃m:

Thomas

& dabit nobis dona spũs sactni & oĩa alia bona nobis necessaria ad salutẽ corpis & aĩe & libera bit nos ab oĩbus malis a pestilentia & a guerris & liberabit nos a penis & maledictoĩbus q̃s pro misit deus seu datuꝝ pcõribus: Et infine dabit nobis uitam sempiternam. Illi. n. qui ɔuertunt ad dñm & pleno corde ac pfecto stant in uera fide: & pseuerant in fide Ihesu xp̃i sũt ueri iusti Et de tali iusto scribit sapientie. x. Iustũ dedux it dñs per uias rectas & oñdit illi regnũ dei: et dedit illi sciam sanctoꝝ: & honestauit illũ in la boribus suis & cõpleuit labores illius.

Guerra.

sapientia

¶ Exhortatio ad fidem spem & caritatem dei: & ꝓximi & ad uirtutes. C. xxxiiii.

Dilectissimi xp̃iani ac deuotissimi credi te in unũ deũ prẽm oĩpotentem fcõrem celi z terre: uisibiliũ oĩm & inuisibiliũ Et in Ihe sũ xp̃m filiũ eius natũ ex maria uirgine ſm car nem qui uiuit z regnat cũ prẽ in uirtute spũs sã cti: & diligite eũ toto corde & seruate precepta eius & sperate in eũ & timete eũ: qui. n: sperant in dño hẽbũt fortitudinẽ & assũment pennas ut aquile. i. uirtutes & dona spũs sancti: recte uola bũt et nõ deficient: Et ut ecle. dr̃ Nullus spauit in dño ut cõfusus est et pmansit in mãdatis eius & derelictus est: qui inuocauit illũz despexit eũ dñs: qm̃ pius z misericors est: qui dimittit in tpe tribulatõis pcã et ꝓtector est oĩbus exqrentibus

Aqle. i. uirtu tes. Ecle:

eum in ueritate: Ve ue illis qui duplici sunt cor de: & Ve ue dissolutis corde: z ue illis qui pdide rũt substinentũ & dereliq̃runt uias rectas: & di uerterũt in uias prauas: & ue uobis qui secũdum carnem ãbulatis z prudentiã carnis: Et ea q̃ mũ di huius sũt q̃ritis De q̃bus dicit Io. ep̃la. i. c. i. Nolite diligere mundũ neq3 ea q̃ in mũdo sunt Si quis aũt diligit mũdum nõ est caritas p̃ris in eo: q̃m om̃e quod ẽ in mũdo ɔcupiscentia carnis & oculoꝝ est sup̃bia uite q̃ nõ est ex p̃re: sed ex mũdo: Et mũdus transibit et ɔcupiscentia eius: Prudentia carnis mors est: et sapiẽtia stulticia ẽ apud deũ. Vñ dic̃ Ap̃lus ad Cor. i. Nõne stultã fecit deus sapientiã huius mũdi. Et quia mũdus p suam sapientiã nõ cognouit deũ placuit deo p stulticiã p̃dicatõis. s. crucis xp̃i saluos facere cre dentes q̃ crux xp̃i apud iudeos scandalũ erat & apud grecos stulticia putabatur.

¶ De modo standi & p̃seuerandi in fide et cari tate dei & p̃ximi. C. xxxv.

Temus ergo frẽs carissimi in deo p fide3 ueram et uiuam: et speremus omnino ue niam peccatorum: per merita domini nr̃i Ihesu xp̃i. Diligamus eum toto corde: tota mente: to ta aĩa: et totis uiribus: Et obseruemus eius p̃cep ta: oremus sp̃ ad dñm: intremus in cubiculo cor dis cũ fide spe z caritate deuote z fideliter oran do ad patrem sicut nos docuit Ihesus christus:

qui est sapientia patris: Deuote dicendo Pr̃ nr̃ qui es in celis. zc̃. recitemus & deuote dicamus oī die Credo in unū deuꝫ. zc̃. ut seqtur & credamus in oībus articulis catholice fidei: sine aliq̃ exitatione: Teneamus fidem uiuā ꝑ bona opa: Nam fides uiua illuminat uiuificat: & roborat aīam ut sciat uelit & possit bñ agere mandata z cōsilia eius adīplere. Teneamus in cordibus cōtinue diuina precepta. & nunq̃ recedant a cordibus nr̃is: Examinemus consciās nr̃as quotidie z si ī aliquo peccauimus ad spūales aīaꝶ medicos curramus & ꝑ ꝯfessionē & pn̄iam reuertamur ad dn̄m quia ipse dixit Conuertimini ad me in toto corde ur̃o: in ieiunio fletu & planctu: & ego conuertar ad uos. Ipse. n. semp est patus ad misericordiā pcōribus: quia pius & misericors est: & multe mīe & uerax. Ipse. n. benigne uocat nos dicendo Venite ad me uos om̄s qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam uos. Tollite iugū meū sup uos: Discite a me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem aīabus ur̃is. Iugum. n. meū suaue est: & onus meū leue.

¶ De Bñdictionibus dei ad obseruanda mandata eius. C. xxxvi.

Vdite & intelligite uos pcōres & mund dilectores: iniqui: stulti: insensati: dulcedinem leuitatem suauitatem: et infinitaꝫ utilitatem iugi domini dicit. n. dn̄s Hoc est precepti

meum & iugum meum quod hoibus impono:
pro eoꝝ utilitate & gloria. Diliges dn̄m deū tu
um toto corde mente aīa & totis viribus tuis &
proximū tuū sicut te ip̄m. In istis dobus māda
tis tota lex pēdet & ꝓphete: In isto solo p̄cepto
dilectōis oīa alia p̄cepta ꝯtinent᷑: qui.n.diligit
deū & ꝓximū suū cū puro & pfcō corde oīa alia
mādata leuite & dulciter implet. Et cū maximo
gaudio & suauitate uiuit & ad sūmam & eternā
gl'am ꝑuenit. Conuertimini cōuertimini o pcō
res nolite diliger̄ mundū & carnis spurcitias nō
amate Cōuertimī ad dn̄m deū ur̄m q pius & mi
sericors est & multe mīe & uerax: Suscipite sua
ue & leue onus p̄ceptoꝝ & mādatoꝝ dei audite
& obseruate uoceꝫ dn̄i dei ur̄i. Et audite q̄ dicit
Moyses ex precepto dn̄i in deutro.c.xxviii. Si
audieris uocem dn̄i tui ut facias: atqꝫ custodias
oīa mandata eius faciet te dn̄s deus tuus excelsi
orem cūctis gentibus q̄ uersant᷑ in terra Veniēt
qꝫ sup te uniuerse bn̄dictōes iste & apphendent
te si tn̄ precepta eius audieris: benedictus eris in
ciuitate: bn̄dictus in agro: & bn̄dictus fructus
uentris tui: fructus terre tue: fructus iumentoꝝ
tuoꝝ: greges armentoꝝ tuoꝝ & ouium tuarum
Et benedicta horrea tua & bn̄dicte reliquie tue
Benedictus eris ingrediens & egrediens: dabit
dn̄s inimicos tuos qui consurgent aduersum te
corruentes in ꝯspectu tuo. Per unā uiam uenīet

contra te & per septem fugiẽt a facie tua: Et mittet dominus benedictõem sup cellaria tua & super oĩa opa manuũ tuar̃. Benedicet te in terraʒ quam accepis: suscitabitq̃ te dominus sibi in populũ sanctum sicut iurauit tibi si custodieris mãdata domini dei tui & ambulaueris in uiis eius Videbũtq̃ te oẽs terrar̃ populi q̃ nomen domini inuocatũ sit sup te & timebũt te. Et abundare te faciet dominus oĩbus bonis: Et multas alias benedictiones promittit obseruantibus legẽ suam ibi uidere poteris qm̃ multe sunt. Cõuertimini ergo conuertimini fratres carissimi ad oĩpotentissimũ & piissimũ dñm nr̃m Ihm̃ xp̃m cuius sapientia ut scribit' eclesiastici. xxiiii. Est mr̃ pulcre dilectionis et timoris & agnitionis & sãcte spei: Et in eo est gratia uie & ueritatis: et in eo est omnis spes uite & uirtutis. Et spiritus eius ẽ super mel dulcis: & hereditas eius dulcis super mel & fauum Et memoria eius est in generatiõe seculorum: Qui edunt eum adhuc esurient: Et qui bibunt eum adhuc sitient: Et qui audiũt eũ non confundentur: Et qui operantur in eo non peccabunt: Et qui elucidant eum uitam eternaʒ habebunt. Hec omnia liber uite: & testamentum altissimi.

¶ De modo uisitandi infirmos de peste: & q̃ tales infirmi non sunt uitãdi. C. xxxvii.

Vgiamus ergo fr̄es tp̄e pestis nō de loco
ad locū: neq3 fugiamus a xp̄o qui nobis
appet in infirmo ꝓxio nr̄o. Visitemus ꝓximum
nr̄m ex caritate & nō timeamus quia neq3 locus
nec aer neq3 anhelitus fratris morbosi sūt cause
eff̄ntes uite ul' mortis ex sua natura aut ex natu
ra sue ꝓp̄e instōis: Nam deus est ille qui est crea
tor oīm gubernator & ꝯseruator: Nā ut dr̄ ecle.
xi. bona et mala. i. comoda & incomoda uita z
mors pauptas & honestas a deo sūt: & dilectio
& uia bonoꝝ: Et ut finem dicēdi faciamus dica
mus cum Apostolo Ex ip̄o et per ip̄m & in ipso
sunt oīa. Et cū sancta mater eclesia publice can
tet: Credo in unum deum patrem omnipoten
tem fcōrem celi & terre uisibiliū oīm & inuisibi
liū Nos cōtinue & sp̄ in hac fide accedamus ad
prēm dn̄i nr̄i Ihesu xp̄i: sicut docuit nos ipse di
cendo Pater nr̄ qui es in celis sanctificet' nomē
tuū. zc̄. Hanc aūt orōnem docuit nos sapientia
prīs ad acqrendū p grām oīa bōa p̄ntia z futura
& ad uitādū oīa mala. Cōfidamus nos metip̄os
in uirtute & ꝓmissiōibus xp̄i & diligamus eū to
to corde seruādo p̄cepta et stemus in timor̄ eius
usq3 ad mortē: nō diligamus mūdū amor. n. mū
di & uite p̄ntis īpediūt distrahūt nos a diuino a
more & ab amore ꝓximoꝝ suoꝝ. Debemus. n.
diligere deū z desiderar̄ separi a uanitate mūdi
& a uanitate tpalis uite: dicit. n. dn̄s Luce. xiiii.



Si quis uenit ad me & nō odit prēm suū & mrē3 suā & uxorem suā & filios frēs & sorores adhuc aūt & aīam suā nō pōt meus esse discipls. Istud odiū intelligi d3 qn ppr carnalē copulā & inor dinatū amorē pris mris uxoris filiorū frm sororū & uite pntis tpalis retrahit hō ab amore honoř diuino & ab obseruātia preceptorū dei tūc oms consanguineos odire d3: Et Mathei. x. q amat prēm aut mrēm plusq̄ me nō est me dignus Et q amat filiū aut filiā sup me nō ē me dignus Et qui nō accipit crucē suā & seqt me nō est me dignus Qui inuenerit aīam suā pdet eā: et qui pdiderit eam ppr me inueniet illā: Qui ergo uitā corpa lem 9suat faciendo 9tra caritatē dei & pxi & fa ciendo 9tra preceptū pdet aīam suā Et qui uita3 ponat in piculo mortis corpalis ppr amorē dei & ppr caritatē pxi inueniet uitā etnā in gla sēm piterna. Si quis ergo uisitaret infirmū ex peste timdo contagiū aut mortē corpalem quā stulti amatores mūdi indebite timent. Et ppr hoc deo pmittēte moreret. vir bonus btūs esset & uita3 ppetuā acquireret: Et qui pximū suum cui obli gatus esset & eū infirmū ex peste nō uisitaret & ei subuenire posset circa ncēitatē corpis & aīe sa lutem ppr timorem mortis fugeret ab eo & nō subueniret ei hōicida esset et dānatus si se nō cō uerteret ad pnīam. Carissimi frēs ac fideles xpi ani nō fugiamus nō fugiamus a frībus nris zin

firmis ex peste z uisitemus xp̄m in talibus infir
mis cū oī caritate nō expellamus eos a domibus
eoꝝ nō claudamus eos in domibus ꝓpriis nō ꝓ
hibeamus trāseūtibus p uias publicas ut transirē
nō possint: nō inferamus ꝓxis nr̄is iniuriā ꝓpter
timorem ꝯtagii & ꝓpr̄ timorem mortis corpalis
S3 subueniamus eis in infirmitatibus eoꝝ sicut
nobis infirmis subueniri cupimus. Nō cessemus
aliquo mō ab opibus caritatis qbus opibus ob
ligati sumus. Nā dn̄s cū uenerit ad iudicandum
dicet obſuātibus opa caritatis. Venite benedic
ti prēs mei possidete patū uobis regnū a ꝯstōne
mūdi. S3 nō obſuātibus opa caritatis & mīe di
cet dn̄s Discedite a me maledicti in ignem etnū
qui paratus est diabolo & angelis eius. Exuriui
enim & non dedistis mihi manducare. Sitiui &
non dedistis mihi bibere. Hospes eram et non
collegistis me: Nudus eram et non cooperuistis
me Infirmus & in carcerem: et non uisitastis me
Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes. Quan
do te uidimus exurientem aut sitientem. aut ho
spitem: aut nudum aut infirmum: aut in carcer
em. et non ministrauimus tibi. Tunc responde
bit omnipotens et iustus deus illis dicens: Amē
dico uobis quamdiu non fecistis uni ex minori
bus istis: nec mihi fecistis: Et ibunt in suppliciu3
eternum. Iusti autem in perpetuum uiuent: in
uitam eternam.

¶Exhortatio ad uisitandũ infirmos de peste ex caritate nõ timendo mortem. C.xxxviii.

Vm ergo unicuiq; hoĩm a deo sit statu tum certũ & determinatũ tempus uite & mortis et mutari nõ possit aliqñ aut aliqua uia: & cu3 hec uita temporalis sit odibilis et detesta bilis Et cũ mors ista corpalis toto corde & totis uiribus desiderãda sit nõ fugiamus frẽs: nõ fugi amus morte quã nemo sapiens uitare potuit. di cit Cassiodorus Mors.n.necessariũ munus est: Fiat uolũtariũ quod futuꝝ est necessariũ Offer amus deo ꝓ muneř quod ꝓ debito tenemur red dere. Visitemus xp̃m in infirmis ex peste: Iuue mus illos ex caritate ĩ oĩbus eoꝝ necessitatibus Non terreat nos timor mortis nõ morbi ɔtagiũ Subueniamus infirmis Inducamus illos ad pcõ rum pñiam: Exhortemur eos ad uirtutes & bo nos mores ad desideria caritatis dei & ꝓximi Et bonũ quod nobis uolumus uelimus & ꝓxĩo: cer te qui tali mõ uisitabit xp̃m in infirmũ ex peste l3 cũ uano timore mortis: ꝓpt̃ hoc citius ad per fectã deueniet caritatẽ: qm̃ ut dixit ueritas mai orẽ caritatẽ nemo h3 ut aĩam suã ponat.zc̃. hu ius.n.caritatis calor extinguit uenenũ et ĩpetũ ignis obdurat ora leonũ: fugat aciem gladii. In fide tñ dñi nostri. Vñ apl's ad hebreos dic̃ San cti ꝑ fidem uicerũt regna opati sunt iusticiã ad epti sũt repromissiões: Obdurauerũt ora leonũ

Cassiodor9.

Extinxerunt impetum ignis Effugauerūt aciem gladii. Conualuerunt de infirmitate fortes facti sunt in bello. Caritatis autem feruor ipse deus est: et qui manet in caritate in deo manet & deus in eo. De his enim qui in caritate sunt: dicit dominus per Marcū: In nomine meo demonia eicient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent: Et si mortiferum quid biberint non eis nocebit. Sup egros manus imponent: et bene habebunt. Timeamus deum: quia ut dicit Ihūs sirach eclesiastici pmo Timor domini gloria et gloriatio: et leticia et corona exultatōis timor dñi delectabit cor et dabit leticiaꝫ et gaudiū in lōgitudinē dierꝫ Timēti deū bñ erit in extremis Et in die defunctionis sue benedicetur. Marcus. Ihūs sirach.

¶ Exhortatio ad caritatē dei et pximi et ad opa misericordie. C.xxxix.

Xerceamus frēs nos ipsos in opibus caritatis et pietatis Tante.n.uirtutis est caritas ut resistat dño irato ꝯtra supbos pcōres tenet aūt eū ne seuiāt ꝯtra eos ꝫ ne eis faciat malū facere quod eis dixit. p ezechiel. dicit: q̄siui de eis uirꝫ q interponeret se septem ꝫ staret in oppositū ꝯtra me ne disipem eā et nō inueni Et Moysi dicebat Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos Quot miracula fecerunt sancti per caritatem: Infinita certe. Siquis aūt infirmum ex peste uisitauerit: et pcepta domini seruauerit iustus erit. Dns p ezech.

Iusti autē in perpetuū uiuent & apud dominū est merces eorū. Et ut ait psalmista oculi domini sup iustos & aures eius in preces eorū. Et iustum deduxit dominus per uias rectas & ōndit illi regnū dei. Et uidebit filios filiorū suorū. Et beatus & uere beatus erit: qui in uita sua sollicite & uiua fide cū pximo suo exercuerit opa misericordie. In domino enim morietur & in pace requiescet. Finē dicendi faciamus: Infinita enim esset materia scribendi: Vnus quisqꝫ enim timeat et diligat deū & mandata eius obseruet. Quia in his duobus ɔsistit felicitas hominis in hac uita & facilius puenit ad gloriam sempiternam.

¶ De pfectissimo mō acqrendi grām dei & sanitatis aīe & corpis. C.xl.

Vi ergo uoluerit infirmitatē uitare aut de infirmitate cōualescere: Primo ad dominū deū optimum medicū: qui solo uerbo restaurat uniuersa humiliter & deuote recurrat & se ad deum conuertat credens plena fide a dn̄o obtiner quod q̄rit aut melius put sūmo medico uisū fuerit expedire. Deinde se in māibus medicorū corporū trader dꝫ: Et hīc ē qꝛ eccl'a medicis p̄cipit sub pēa anatematis ut infirmis p̄mū suadeant qꝛ p pniam ad dn̄m reuertant: deinde medicis: dic. n. dn̄s in ecle. Onora medicū ppr̄ necessitatē & enī illū creauit deus altissimus ꝛ ab eo est oīs medicīa a rege icepit & dic altissimus creauit

medicinam & uir prudens nō abhorrebit illam Debemus nihilominus & sperare & credere ꝙ tm̄ opabit᷑ medicus & medicina: q̄ntū placuerit altissimo a quo solo & nō ab alio medicus sciaꝫ intellectū medicinā uirtuteꝫ & infirmi sanitatē suscipiūt. Et hinc est ꝙ nō semp infirmitateꝫ ex pellūt Nec alicui tps uite ul᷑ mortis suo ingenio cōsilio uel arte elōgare aut breuiare pn̄t: Istud enim tempus ut dictum est non est in potestate hoīs sed solius dei: qui uiuoꝝ & mortuoꝝ dn̄s ē & conducit ad inferos & reducit Amen.

¶ Vnusquisqꝫ ergo positus ī libero arbitrio seu in libertate arbitrii eligat illam uiam quā uult: aut uicioꝝ cum pena eterna: aut uirtutū cū gl'a & gaudio sempiterno in secula seculoꝝ Amen.

¶ Pateat omnibus qualiter ego Anthonius de Senis de paupibus Ihesuatis Et eps fulginatēsis submitto me correctioni san. Ro. ecle. Et oīa q̄ cunqꝫ aliq̄n dixi aut scripsi uel dicam uel scribā quia semp credidi & firmiter credo omne illud quod san. Ro. tenet ecl'ia iubet & precipit.

¶ Ego frater Cherubinus de Spoleto ordīs mi noꝝ diuini uerbi predicator indignus: legi dili genter totū hunc tractatū seu opusculū & meo iudicio omnes cōclusiones atqꝫ sn̄ie in eo cōten te sane sunt catholice atqꝫ uere: ac tales sensio: Et in his scriptis manu propria sic fateor: saluo tamen semper saniori iudicio.

